



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Ioannis Tritemii Tractatus De Sacerdotum Vita Recte Institvenda

Trithemius, Johannes

Coloniæ Agrippinæ, 1655

De Vocatione Sacerdotum; & quæ eos generatim deceant, vel non. Caput  
Primum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46533)

I  
IOANNIS TRITEMII

ABBATIS  
SPANHEIMENSIS,

Ad Nicolaum Mernicen-  
sem Presbyterum, de  
Sacerdotum Vita in-  
stituenda, libellus.

*De Vocatione Sacerdotum; &  
quæ eos generatim de-  
ceant, vel non.*

CAPUT PRIMUM.



Etis à me Nico- I.  
lae frater aman-  
tissime, & cre-  
bris Epistolis in-  
stas, ut tibi for-  
mam in Sacerdotio laudabili-  
ter vivendi, stilo commendem.

Su-

2 DE SACERD. VITA

Supra vires ingenii me laborare compellis, morsibusque æmulorum lacerandum exponis, qui me ex hoc præsumptuosum judicabunt, quod viam, quam ipse nec dum ambulare didici, tibi velim demonstrare.

2. Et quanquam se res ita habeat, malo tamen æmulationis subire iudicium, quàm charitatis in te meæ ferre detrimentum. Tanta enim dilectione te semper colui, *A.* ut negare tibi quippiam postulanti nunquam consueverim. Cupiens itaque satisfacere precibus tuis, normam vivendi ex scriptis Sanctorum tibi commendare volui: non quod statui tuo prorsus ex omni parte sufficiat, sed  
pro

pro qualicunque principio ad honestam conversationem te, si velis, inducat.

In primis itaque te moneo, 3.  
ex definitione nominis, statum pensare indictæ conversationis. Etenim dicimur Clerici, quotquot in sortem Domini sumus specialiter electi. Interpretemur itaque vocabulum nominis, & intelligemus qualitatem præceptæ honestatis. Cleros etenim Græcè, fors interpretatur latinè. A cleros ergo Clerici, in domini sortem dicuntur electi. B.

Si nos igitur in Dei sortem 4.  
vocatos agnoscimus, cur adhuc mundo militamus? Ad quid in terra morientium hæreditatem quærimus? C. qui Deum,

#### 4 DE SACERD. VITA

Deum, se nobis pollicentem hæreditatem expectamus? In veteri namque testamento legimus, Dominum sacerdotibus & levitis præcepisse, ne inter filios Israël fratres suos acciperent hæreditatem, eo quod ipse hæreditas esset eorum.

5. Nunc ergo si esse te Clericum existimas, debes à cæteris hominibus excellentiâ conversationis honestior incedere, & mundi hujus perituras divitias minimè amare. Quia si animum tuum sæculi hæreditati submiseris, extra sortem Domini cum insipientibus collocaberis. Non enim dignabitur te Dominus inter electos suos recipere, si post aurum abiens, mundum decreveris amare.

Tur-

Turpissima est in Sacerdote 6.  
 Christi avaritia, quæ servum  
 Dei, ministrum facit idolo-  
 rum. Hæc si animum tuum se-  
 mel ceperit, nunquam sui com-  
 potem amplius dimittit. Ne-  
 mo enim potest duobus Do-  
 minis servire dissentientibus:  
 Non potestis, inquit, Deo ser-  
 uire & Mammonæ. *D.* Non  
 poteris bonus esse Clericus, si  
 fueris avarus. *E.*

Scio autem, & longa expe- 7.  
 rientia tecum conversando di-  
 dici, quoniam natura parcum  
 te genuit, cave ne donum gra-  
 tiæ ad fomenta convertas ava-  
 ritix. Enimverò qui volunt di-  
 vites fieri in hoc sæculo, fre-  
 quenter in tentationes inci-  
 dunt diaboli. Oportet autem  
 mini-

6 DE SACERD. VITA

ministrum Dei segregatum esse à solitudine mundi, quia non potest ad Deum ire mens libera, si terrenis curis fuerit implicata.

8. Hinc coronas raias portamus *F.* in capite, quatenus abjectis superfluitatibus, liberè ad Deum ascensum paremus in cogitatione. Crines namque capitis superfluitates terrenæ designant actionis. Et sicut ex superfluitate humoris crines capitis proveniunt, sic ex amore pecuniæ solitudines mundi crescunt. Cum ergo crines capitis in modum coronæ abradimus, monemur, ut ministerio Dei applicati, omnes mundi curas contemnamus.

9. Sicut autem caput pars est  
emi-

C A P V T I. 7

eminentior corporis, ita mens  
vis suprema rationis. Idcirco  
autem coronam gestamus in  
capite, ut terrenis curis abso-  
luti, ad Dei contemplationem  
liberiùs elevemur in mente.  
Unde & nos claustrales, qui  
Monachi dicimur, coronis  
amplissimis ornati, crines pau-  
ciores in capite relinquimus,  
ut nos activæ vitæ mortuos, in  
contemplatione cœlestium va-  
care perampliùs ostendamus.

Attende nunc definitionem 10.  
nominis, & cura condignis vi-  
tæ meritis sorti respondere su-  
perni Conditoris. Omni cu-  
stodiâ serva cor tuum, ne te in  
profundum avaritiæ demergat  
cupiditas, ne libidinis ardor  
animum tuum cum peccatori-  
bus

8 DE SACERD. VITA

bus in cœnum luxuriæ detrahat, ne superbiæ fastus te ad inferos sine fine cruciandum secum trahat. Cave ne per hujus mundi curas à sorte Dei decidas, cave ne in via contemptorum Dei pergas.

11. Ruinas multorum in circuitu sacerdotum considera, & de tuo semper periculo simili formida. Nusquam inter mortales securiùs vivitur, quàm si periculum semper timeatur. Unde scriptum est: Beatus homo qui semper est pavidus, qui autem mentis est duræ, corruet in malum. Enimverò periculum qui timet, cavet, qui negligit, incidit.

12. Oportet ministrum Christi, Sacerdotem Dei, virum esse, G.  
non.

non puerum, ut sciat, & intelligat quale onus susceperit, pro cuius administratione in districto Dei iudicio sit redditurus rationem. Sit ergo prudens, castus & quietus, sit pudicus, benignus, mansuetus, ut qui plebis indoctæ præceptor constituitur, nullum de sua conversatione contemptum patiatur.

Sacerdotis est, *H.* interrogatum respondere de lege, vitia subditorum per verba sanctæ prædicationis constanter arguere, & nulla pro veritatis amore aduersa formidare. Oportet eum, qui Sacerdotio in populo Dei fungitur, virum doctum esse in lege divina, ut sciat in tempore, nova proferre & vetera, ne inter canes mutos

mutos non valentes latrare, officii sui perdat dignitatem.

14. Tuum nunc est, ô Nicolae, aliorum vitia sedula monitione arguere, & te vitiis alienum exhibere, ne si vitiosus crimina arguas, temetipsum damnandum reddas. Nemo enim in alio confidenter potest reprehendere, quod se conscientia teste meminerit commisisse. Oportet ergo illum esse irreprehensibilem, qui aliorum peccata sedet judicare: quia qui in se committit, quod in aliis arguit, non emendat, sed provocat.

15. Sacerdotes hypocritis similes inveniuntur, qui delinquentibus fratribus in levioribus irascuntur, & sibi in gravioribus

vioribus nolunt à quoquam indignari. Misera humanæ fragilitatis conditio, peccatorem peccator condemnat, & disparem fert in pari crimine sententiam.

Mentiar si non multotiens 16.  
 proximum suum de fornicatione arguit adulter, pauca in alio vitia condemnat iudex in multis vitiosus, & ut suam pravitatem occultare valeat, omnium delicta manifestat. Contra quem à Domino dicitur: Hypocrita ejice primùm, quam gestas trabem in oculo proprio, & sic festucam videas in alieno. Quid furem reprehendit sacrilegus? vitiosum sceleratus cur arguit? Infructuosa prorsus erit correctio, quam

B

vitæ

vitæ commaculat æqualis turpitudine. Ut igitur careas hypocritarum opprobrio, cave alterius corrector in simili delinquere peccato.

17. Nunquam fiet utilis correctio in subditis, dum is qui præest, publicis submittit colla peccatis. Enimverò jus correctionis amittitur, quando correctoris conversatio subditorum vitijs inquinatur. Sacerdotii vilescit autoritas, si honestatem conversationis publica corrumpit iniquitas. Omnis igitur correctio in suo autore sumat exordium, & sic demum secunda procedat in publicum. Suspendat correctionis ad tempus sententiam, quem in crimine simili conscientia propria remordet. Cor-

Corruptus jam est ut plurimum status credentium, & est sicut populus, sic etiam Sacerdos. Omnes avaritiæ student, à majore usque ad infimum. Væ genti peccatrici, quæ semper ad graviora prolabitur, dum pari delicto obnoxios suos iudices intuetur. Ad tantam nunc miseriam devenit auctoritas Ecclesiastica, ut Sacerdotum verba jubeamur amplecti, non facta. *I.* Dicunt enim de semetipsis infœlices presbyteri, iniquationis suæ testimonium perhibentes: Eruditionis nostræ verba vos, O Christi fideles, attendite, exempla cavete.

O verba confusione sempiternâ dignissima, *K.* quæ quantum ex doctrinâ erudire populum

14 DE SACERD. VITA

lum Dei debuerant, tantum ex operibus perversis scandalizant. Indocti, rudes, jam sine discretionem meriti ad sacerdotium veniunt, qui moribus suis pessimis Christi oves infeliciter occidunt.

20. Nulla jam in ordinandis clericis vitæ sanctitas requiritur, L. literarum eruditio nulla postulatur, conscientiae puritas non attenditur. Sufficit apud eos si currentem foritem possit construere, si cuius partis orationis sit Dominus, respondere, si ita, & non, intelligere. Væ nostræ tempestatis Episcopis, qui sæcularibus negotiis intenti, ordinationes clericorum non considerant, sed curam examinandi imperitis locant.

cant. Quàm districtam sunt  
subituri sententiam, qui se to-  
tius in Ecclesia mali exhibent  
causam.

Enimverò cùm oporteat Sa- 21.  
cerdotem fidelium doctum ef-  
se & sanctum, quâ temeritate  
imperiti ad Sacerdotium ve-  
niunt, qui nec se, nec alios eru-  
dire possunt? Neque enim sine  
doctrina, bona in clerico vita  
sufficit, neque doctrina sine  
vita populum salubriter eru-  
dit. Nam doctrina sine mori-  
bus doctorem perimit, vita sine  
doctrina inutilem facit. Latra-  
tu si quidem canum & baculo  
Pastoris, rabies luporum fugan-  
da est.

Pastor itaque Ecclesiasticus 22.  
per vitam bonam ovibus suis

B 3 exem-

exemplum justitiæ præbeat,  
 per salutarem doctrinam men-  
 tes auditorum pascat : ne si  
 unum sine altero faciat, vel se  
 negligat, vel gregis curam in-  
 fructosè agat. Heu quid dicam  
 de Sacerdotibus nostris indo-  
 ctis, & vitiosis, avaris, luxurio-  
 sis & pessimis? Pudet me loqui,  
 & silere non valeo.

23. Prospice tibi Nicolae cha-  
 rissime, ne imitator eorum  
 fias, qui contemptis codicibus  
 scripturarum, ludis & potatio-  
 nibus *M.* diem totum vacant,  
 qui se mulierum commixtio-  
 nibus maculant, qui pravis suis  
 moribus multos in lege Dei  
 scandalizant.

24. Esto in populo Dei hone-  
 statis exemplar, in omnibus,  
 quan-

quantum fieri potest, te irreprehensibilem exhibeas, ut omnem de te malæ suspicionis occasionem tollas. Oportet enim testimonium habere, etiam ab his qui foris sunt, quia prædicantis sermo facile contemnitur, cujus vita malis suspicionibus in populo notatur. Te ipsum itaque bonorum operum cultorem exhibeas, quatenus populum Dei non minus exemplo, quàm sermone informare queas.

Quod ut salubriter possis 25.  
 perficere, consortia indisciplinatorum cura declinare: *N.*  
 quia vix sine reprehensione vivere sufficit, qui malorum consortia non fugit. Dicit enim scriptura: Cum sancto sanctus  
 B 4 eris,

eris, & cum perverso perverte-  
ris. Et iterum : Qui tangit pi-  
cem, inquinabitur ab ea. Unus-  
quisque propositi sui delecta-  
tur habere consortium. Nam  
si pedem tuum à conventu  
malignantium non prohibue-  
ris, subditorum detractionibus  
omni tempore subjacebis. Fa-  
cile decipitur juvenilis animus  
consortio perversorum.

26. Juvenis es, & in utranque  
partem flexibilis. Idcirco sum-  
mâ tibi diligentiam invigilan-  
dum est, ne indisciplinatorum  
consortio depraveris. Nihil  
enim sic juvenibus nocet,  
quemadmodum prava exem-  
pla seniorum. Quanto verò  
junior es, tanto tibi majori so-  
licitudine curandum est, ut vi-  
tam

tam tuam in sinceritate timoris Domini custodias. Scriptum est enim : Adolefcens juxta viam suam , etiam cum senuerit , non recedet ab ea. Quod juvenis didiceris , in senectute practicabis.

## Notæ.

A. **T** *Anta enim dilectione te semper colui*) Utilitas ingens Juniorum sacerdotum , si cum probatis viris , præsertim senioribus , familiares se faciant : qui sensus est sancti Ambrosii off. lib. 1. c. 45. Sequatur , inquit , conversationis electio , ut adjungamur probatissimis quibusque senioribus. Namque ut æqualium usus dulcior , ita senum tutior est : qui Magisterio quodam , & ductu vitæ colorat mores adolescentium , & velut murice

B 5

probi-

probitatis inficit. Hoc etiam accuratè præscribit Sacerdotale nostrum in proleg: fol. 15. ex Synodo Diocesana.

*B. In sortem Domini dicuntur electi*) Hoc similibus verbis affirmat S. Hieronymus citatus 2. p. Decreti, causa 12. q. 1. c. 7. dicens: Inde hujusmodi homines vocantur Clerici, id est sorte electi, omnes enim Deus in suos elegit. Hi namque sunt Reges, id est se & alios in Virtutibus Regentes: & ita in Deo Regnum habent, & hoc designat Corona in capite.

*C. Ad quid in terra Morientium hereditatem querimus*) Pro hoc adducitur rectè S. Augustinus: Clerici, qui fideliter laborant in Ecclesia, non expectent hinc stipendia temporalia ab Ecclesiâ, quasi præmia laborum (quia stipendia suæ militiæ non nisi cælestia sunt) sed solùm necessaria ad sustentationem vitæ.

*D. Non potestis Deo servire & Mammonæ*)

*monæ*) Hunc locum pluribus explicat Cornelius à lapide in c. 6. Math. V. 24 & nervosè addit: qui servit Mammonæ, opum est servus; quare eas non regit ut Dominus, sed ab eis regitur quasi Mancipium: pecunia enim imperat avaro, servit liberali.

*E. Non poteris esse bonus Clericus, si fueris avarus*) Hoc agnoverunt Ethnici: Cicero in oratione pro Quintio: Nullum est officium tam sanctum, atque solenne, quod non avaritia comminuere, atque violare soleat. Salustius in Catilinar: avaritia fidem, probitatem, cæterasque bonas artes subvertit: proque his superbiam, crudelitatem, Dei neglectum, omnia habere venalia, edocuit. Sed de hoc plura cap. 5.

*F. Hinc Coronas raras portamus in capite*) De his Coronis loquitur etiam S. Hieronymus loco paulò antea allegato. Hanc coronam habent ab institutione Romanæ Ecclesiæ, in si-

## 22 DE SACERD. VITA

gnum Regni, quod in Christo expectatur. Ratio verò Capitis, est temporalium omnium depositio: inordinatæ nimirum eorum concupiscentiæ, & retentionis. Hæc corona præcipitur etiam in concilio Toletano sub Honorio, Anno 633 celebrato, Canone 43. Ubi Coriolanus annotat certum ejus modum, ab Aniceto Papa, qui sedit Anno 89. præscriptum esse: eamque tonsuram ortum habuisse à Nazaræis, & ejus Exempli usum ab Apostolis in Ecclesiam introductum probat ex Isidoro, de Eccles. off. l. 2. c. 4. Ita etiam præcipitur c. Clerici officia; de vita, & hon: Cleric: Coronam, & tonsuram habeant congruentem: & diligenter præscribitur in proleg: nostris n. III. f. 2. Ubi ait: consistit honestas Sacerdotalis in coronâ capitis, seu tonsurâ: quam Sacerdotes conspicuam instar hostiæ grandioris, &c. habere debent.

*G. Opor-*

*G. Oportet Ministrum Christi, Sacerdotem Dei, virum esse*) Ex Conc. Tridentino hæc verba adducens: optandum est, ut ii, qui pastorale Ministerium suscipiunt, quæ suæ sint partes agnoscant: ac se non ad propria commoda, non ad divitias aut luxum, sed ad labores, & sollicitudines pro Dei gloria vocatos esse intelligant. &c.

*H. Sacerdotis est*) Hæc confirmat Sac: nostrum fol. 6. ex S. Chryf. dum ait; multi sacerdotes, & pauci sacerdotes, multi in nomine, & pauci in opere. Videte ergo quomodo sedeatis super Cathedram: quia Cathedra non facit Sacerdotem, sed Sacerdos Cathedram; non locus sanctificat hominem, sed homo locum, &c.

*I. Vt Sacerdotum verba jubeamur amplecti, non facta*) S. Chryf. Bene vivendo, & bene docendo populum instruis, quomodo debeat vivere, bene autem docendo & malè

24 DE SACERD. VITA

vivendo , instruis Deum, quomodo te debeat condemnare.

*K. O Verba confusione sempiterna dignissima!*) Cum his consonat S. Baillius in Reg. breu. Si res adeo formidabilis est scandalizare fratrem , quid de iis dicendum , qui in rebus vetitis faciendis , loquendis- que scandalizant ? maximè si in gradu aliquo censetur sacro , ut reliquis tanquam Regula , Exemplarvè propositus esse debeat.

*L. Nulla jam in ordinandis Clericis vitæ sanctitas requiritur* ) Doctissimus Petrus Sotus Dominicanus de vita Sacerdotum lect. 5. hæc habet : Episcopi sunt primi, & præcipui totius Dioecesis Pastores, Apostolorum successores. Parochi verò sunt in eorum auxilium , pro ut ipsi disponunt , assumpti , proximi , & immediati pastores ovium, &c. Unde ægrè ferre non possunt ad parochias anhelantes , si ab iis , quorum interest , & quo ad mores , & quo

quo ad doctrinam accuratissimè  
examinentur : cùm defectus om-  
nis in his & in Examinatores, & ip-  
sos Episcopos redundet : quod Tri-  
temius noster diligenter expendit.

*M. Ludis, & potationibus*) De  
his redibit agendi occasio : compo-  
tationes in publicis præsertim ho-  
spitiis, prohibitas esse, constat ex  
Canone 54. Apostolorum, pro ut  
à Coriolano recensentur : si quis  
Clericus in Cauona comedens, de-  
prehensus fuerit, segregetur ; quod  
ex pluribus ibi conciliis provincia-  
libus confirmat. S. Augustinus: alie-  
narum nuptiarum evitent convivia :  
& alibi ; ad hominum levium convi-  
via, & quæcunque alia conventicula  
ne accedant. Insuper Innocentius  
III 3. decret : de vita, & honestate  
Clericorum c. Clerici officia: ita lo-  
quitur ; ad alias & taxillos non lu-  
dant: & tabernas prorsus evitent nisi  
necessitatis causa in itinere consti-  
tuti.

*N. Con-*

26 DE SACERD. VITA

*N. Consortia indisciplinatorum cura declinare*) Vehemens hac in re est S. Bernardus Serm. 1. de convers. S. Pauli, dum ait: agnoscite, dilectissimi, & expavescite consortia eorum, qui salutem impediunt animarum. Horrendum penitus Sacrilegium, & quod ipsorum videtur excedere facinus, qui Domino Majestatis manus sacrilegas injecerunt. Nec leniores sunt alii SS. Patres, quos nimis longum esset adducere: Experientia propria, & quotidiana hoc testatur,

De